

parte ut bubus et sorici, pantheris non item ; uulpibus et lupis uillosus ut ouibus, quibus procerior. Sues intorquent, canum degeneres sub aluum reflectunt.

CXII (51). Vocem non habere nisi quae pulmonem 266 et arterias habeant, hoc est nisi quae spirent, Aristoteles putat; idecirco et insectis sonum esse, non uocem, intus inmeante spiritu et inclusu sonante ; alia murmur edere, ut apes, alia cum tractu stridorem, ut cicadas : receptum enim duobus sub pectore cauis spiritum, mobili occursante membrana intus, attritu eius sonare; muscas, apes, cetera similia cum uolatu et incipere audiri et desinere, sonum enim attritu et interiore aura, non anima, reddi ; locustas pinnarum et feminum attritu sonare. Credatur sane item aqua- 267 tilium pectines stridere, cum uolant, mollia et crusta inlecta nec uocem nec sonum ullum habere ; sed ceteri pisces, quamuis pulmone et arteria careant, non in totum sine ullo sunt sono — stridorem eum dentibus fieri cauillantur —, et is, qui caper uocatur in Acheloo amne, grunnitum habet et alii, de quibus diximus. Oua parientibus sibilus, serpentibus longus, testudini abruptus. Ranis sui generis, ut dictum est, nisi si et